

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Reuerendo uiro, Georgio Buchholzer, praeposito Berlinensi, amico & fratri  
suo charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

Clarissimo viro D. Georgio Sabino, in  
inclita Academia Fracofordiana,  
genero suo charissimo,

S. D. Non solum editio scripti de Norimber-  
genſi cōtroversia, iter meum ad uos impediuit: sed  
etiam aulicæ compedes mihi iniectæ sunt. Postea ro-  
gatus à tua matre, filias tuas huc in tuam patriam  
adduxi: cras, Deo uolente, reducturus sum eas ad  
meam familiam. Mitto tibi epistolas, quæ mihi ex  
Augusta Rhetica allatæ sunt: addidi & exemplum  
mei libelli, quem recens edidi: in quo in postremis  
pagellis adhortatio addita est de concordia, quam  
optarim tam efficacem esse, quàm fuerunt Terpan-  
dri carmina ad lyram decantata, quibus seditio ci-  
uium sedata est. Bene & feliciter uale. Die septi-  
mo Decembris, 1555.

Reuerendo viro, Georgio Buchholzer,  
præposito Berlinensi, amico & fra-  
tri suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater: Oro  
filium Dei, ut tribuat faustum & felix coniugium  
pudicæ filie uestræ, & genero. Venissem ad sacræ  
nuptiæ, si eo tempore fuisset domi: sed profectus  
eram aliquanto antè ad ægotantem Matthesium,  
in uallem loachimicam. Illa sola causa impediuit,  
quo minus ad uos uenerim: sed dono testabor meã  
s s beneuo-

benevolentiam, cum primum habebō nuncium mihi notum. Mito de toga & pallio, quæ subito scripti: nam nuncius properabat. Illud miror, uos suspiciose interpretari, quod non ueni: diligi à me homines Marchicos, multa signa sunt. Habeo filias Marchicas uirtute & forma diuinitus ornatas, quæ mihi certè sunt charissimæ. Multis officijs coniunctus sum cum multis prestantibus uiris in Marchia. Et si quid tribuitis meis scriptis: hæc etiam ostendunt reuerentiã erga illustrißimos Principes Marchiones, ortos à nobilissima Guelforũ stirpe: propterea suspiciones istas cum dolore legi. Et ego homo apertus, non delector hoc genere interpretationũ, cum S. Paulus dicat: Dilectio non sit suspicax. Bene ualete.

Magna pars Constantinopolis terræ motu dissesta est, et multi homines oppressi sunt ruinis. Deus protegat et gubernet nos. Datæ 4. Iulij, anno 1556.

Eidem.

Reuerende uir, & amice charissime: Prorsus nõ aliud respõdeo ad tam atrocem criminationem, de qua audiui etiam antè quam legi uestras literas, nisi hoc quod Demosthenes dicit: Si uos ipsi, quibus mea uita nota est, talem me esse existimatis, qualem me esse calumniator describit, nulla prorsus defensione utar. Sed profectò unde sit tanta acerbi-